

periculo mortis [a], castrum post multas cædes ceperunt et destruxerunt. Duxerunt itaque captivos comitem Hugolinum Donigaliam [b] [c] Gigonem comitem [e] Bagnacapelli, comitissam matrem Mayni Malvicini, et bene [d] xxx milites [f]. Die autem illa, maximam Faventini habuerunt victoriam, licet cruentam.

*De destructione Castelnovi et Limitalti [g] [B] (52).*

CAP. XXXII.

Pactione conjuncti pestifera, castellani castri de Limithalto cum hominibus Castelli novi ab inquis suorum semitis vijorum contra Faventiam tempore multo non deviarunt [h]. Nam saepissime usque Runcum Ducis (53) facientes, si quos inveniebant, hostiliter pertractabant; quibus et cives pro factis dignas impendebant quandoque poenas. [g] Anno itaque domini MCXXXVI, timentes sibi et suo castro, illi de Limithalto se transferre cœperunt in Castellum Novum, ut facilius inimicos [h] possent offendere. Faventini autem, cum molensibus et aliis eorum amicis, Castellum Novum subito aggredientes, post caedes [i] et vulnera multa [j] præliando ceperunt; quod quidem castrum et castrum Limitalti penitus destruxerunt, ut, qui tempore multo [k] fuerant socii iniquitatis, in brevi essent participes destructionis.

*De prælia apud Sanctum Petrum in Lacuna commiso.*

CAP. XXXIII.

In diebus illis, Petrus dux, Guilielmus Traversaria, et alii milites Ravennates cum electis peditibus et sagittariis una cum comitibus et populo Cunii [l] anno domini MCXXXVI mense Junii, in villa Sancti Petri in Lacuna [D] Faventinis insidiis posuere, aestimantes illos ad collendum messes more solito vagari per agros. Faventini vero, nequissimam hostium comperientes, ipsos in insidiis positos subito aggredi properaverunt; quos post multos hinc inde raptos de medio, usque Cunium sunt persecuti prosternendo ac capiendo.

[a] obiciendo periculo mortis, C. V. In C. M., obiciendo periculo mortis. — [b] Hugolinum Donigaliae. In C. M., Ugolinum Donigaliae. — [c] Gigonem comitem. Sic Codd.; Gregor. Zucculus in Vers. Ital. habet Guidonem comitem. — [d] et bene xxx milites. Sic cum Cl. Mitt. lego. Codd. V. et A. et Greg. Zucculus in sua Versione habet: et Bononienses xxx milites. — [e] Castelnovi et Limitalti, Codd. M. et V. In C. A., Castri novi et Limitalti. In C. M., modo Castellum novum, modo Castelnovum; item, modo Limitaltum, modo Limithaltum scribitur. — [f] non deviarunt, C. M. In C. A., deviare. — [g] quandoque poenas, C. V. In C. M., poenas deest. — [h] ut facilius inimicos, C. M. In C. V., pro facilius, est fortius. — [i] post caedes. Sic C. M.: alii legunt per caedes. — [j] et vulnera multa. Et supplevi ex C. A.; nam deerat in Codd. M. et V. — [k] tempore multo. Sic Cl. Mitt. legit. In C. V., tempore supradicto; in C. A., tempore malo.

[A] Donigallia erat castrum, non procul a Solarolo, sexto abhinc lapide.

[B] Loca in comitatu Imolensi.

[C] Cunii. Castrum olim ad ripam Senni, eis Lugium duobus milliariis; nunc villa.

[D] Villa haec est, ad occasum Faventiae, quinto circiter lapide.